

bis , atqve Ecclesiæ Patrum consensum , & Concilio-  
rum Decreta obvertunt Dissentientes ? Antiquissima  
est, a mundo usqve condito, inter pios qvoqve rece-  
pta, illa nostra Deum unum invocandi ratio. Contra  
mortuorum invocationem ignorat pia antiquitas, San-  
ctos cum suis reliquiis ante natum Servatorem a quo-  
qvam Patrum illius ætatis esse invocatos, illud ne uno  
quidem exemplo probant Dissententes, nisi forte gen-  
tium exemplo, atqve Idololatria uti velint : Quod uti-  
nam respicerent, cumque suo isthoc errore probe con-  
tenderent, & retipiscerent ! si tamen unquam resipi-  
scerent. Quod ad Ecclesiam Christianorum, veram il-  
lam quidem & Apostolicam, attinet, illa, si vel omnem  
illius respicias ætatem, nunquam probavit invocationem  
Sanctorum. Primis illis seculis Christo nato, res  
inaudita fuit adoratio Sanctorum : postea doceri cœ-  
ptum est , dum colligere incipiebat Ecclesiam Anti-  
Christus, qui deinde mira quadam errorum cupiditate  
flagrans, hunc de invocandis Sanctis errorem recepit  
& publice probavit, adhanc usque ætatem nostram de-  
fendit, perque suam tyrannidem tuerur. Si viri sunt  
Dissententes, & quicquam valent, ostendant vel unum  
ab Apostolica Ecclesia, h.e. ab Apostolis ipsis nobis tra-  
ditum exemplum, præceptum vel promissum, quo ist-  
hæc de invocandis Sanctis sententia probetur. Reli-  
qua enim illa , nescio quæ , quorumve Conciliorum  
Decreta, quæ hunc errorem  $\alpha\gamma\omega\phi\sigma$  &  $\alpha\lambda\mu\omega\phi\sigma$  de in-  
vocandis Sanctis comprobant, nobis nihil probant.

§. XII. Multo etiam minus valere apud nos quic-  
quam potest illa, quam alii adjungunt, aulæ & Princi-  
pum similitudo. Alia enim est Dei, alia aulæ & Prin-  
cipum consuetudo: *Deus sum*, inquit Jehova, *non ho-*  
*mo*, Hose. XI. *Cogitationes meæ non cogitationes vestræ*, *et*